

2203

C O D I C E S

2204

*Perusii feria quarta Resurrectionis.*

## DLXXIX.

<sup>436</sup> Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 275. 4. per duas columnas non una manu exaratus, rubricisque distinctus inscribitur *De Caritate Statuum*, abiturque in *Partes IV.* videlicet fol. 1. *de Caritate Prelatorum ad subditos*, fol. 117. *de Caritate Subditorum erga prelatos*, fol. 147. *de Caritate Sacerdotis ad plebem*, et fol. 251. *de Caritate Plebis erga sacerdotes.* Coagmentatum Opus e PP. Sententiis, perspersumque piis Historiolis, quarum non semper vadem agere velis. Forma dialogica est, interrogante *Animo*, et *Ratione* respondente. Initium: *Quoniam, ut ait beatus Gregorius, caritas minus quam inter duos haberi non potest &c.* Finis vastae tractationis: *Insinuat quod per eorum doctrinam ieiuna corda cottidie sunt pascenda. Hec glossa.* Autoris, qui e Praedicatorum vel Minorum familia fuisse videtur, nomen detegere non potui. De Patria illius fortasse ex eo conjicias, quod fol. 271. p. 2. scribit. *Quedam nobilis domina et deuota in austria uidit ex ore predicantis exire flammam ignis quasi de fornace.*

## DLXXX.

<sup>256</sup> Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 446. f. currente calamo scriptus per duas colum-

nas, et olim conuentus wienens. fratrum ordinis predicatorum In Austria. donatus eidem per Venerabilem patrem. fratrem Petrum de Chirchschlag ante suam professionem quam fecit in die Penthec. Anno domini 1457. ut habetur ad calcem fol. 2. et fol. penult. continet Farraginem Opusculorum, quae enumeranda sunt, postquam observauero, Donatorem nostrum ipsummet successu temporis evasisse Scriptorem; extat enim ejus *Collectura ex diversis Doctoribus super Passionem Domini*, impressa s. l. 1487. 4. Id, quod *Echardus* in *Scriptt. O. P.* scire auebat, quem etiam latuit *Petrum* Conuentus *Wienens.* alumnum fuisse, oppidumque ejus natale in *Austria* non *Kyrzslacken*, ut deformatum ab aliis nomen acceperat, sed *Kirchschlag* scribendum esse. Vide *T. I.* p. 858.

*I. Tractatus*, ut ex calce transcribo, *bonus qui et Cordiale dicitur tractans de quatuor nouissimis scilicet de morte temporali, de iudicio extremo, de penis inferni et de gaudio regni celestis Egregij et eximij doctoris. Magistri Heinrici de Hassa sacraeque Theologie professoris. In alma Vniuersitate Wienens. editus.* Incipit: *Memorare nouissima tua &c.* Sicut dicit *Beatus Augustinus* in libro suarum meditationum &c. et finit: *ac nouissima prouiderent.* Typis editum Opusculum sub *Artis* initia s. l. et a. 4. In *Cod. uno Mellicensi* de Autore dubitatur, in *Claustroneoburg.* tribuitur

buitur *Thomae de Haselbach*. Ita *Cl. Pezsius Dissert. Isag.* in T. I. *Tbes. Anecd.* p. 79.

II. fol. 34. p. 2. *Tractatus*, ut in calce, *de quatuor nouissimis. et de Tribus cuilibet proficere volenti valde necessarijs.* Incipit: *In omnibus operibus tuis*

*memorare nouissima &c. In hys verbis sapiens duo facit &c. et finit: vt mentem ab oratione diuidat, et fructum orationis tollat. Praeter subscriptionem allatam ad calcem jacet sequens Metrum de Passione domini, quod Oedipum praestolatur:*

*Clauiculis firmis theos antropos impos et yrmis  
Figor ob infirmi cosmi delicta patir mi.*

Autorem inter plures, qui de hoc Argumento tractarunt, non inuenio.

III. fol. 72. *Tractatus Bernardi de cura Domestica.* Inscriptus: *Gracioso ac felici inclito Reymundo domino Castri sancti Ambrosij*, et jam memoratus alias. Videtur novisse Librarius, eum non esse *Bernardi Claraevall.* sed *Silvestri Ep. Carnotensis*; omisit enim in titulo *to Beati*, quod statim in opusculo seq. comparet.

IV. fol. 73. Incipit *Opusculum beati Bernardi De forma honeste vite.* Incipit: *Petis a me frater mi karissime, quod nunquam et nusquam &c. Extat inter Supposititia Edit. Maur. Paris. 1690. T. V. p. 794. f.*

V. fol. 76. Sequitur *expositio Pater noster edita per reuerendum Magistrum Hainricum de bassia.* Inscripta est: *Reuerendo in christo patri ac domino Domino ecardo (de Dersch 1377 — 405.) Episcopo Wurmacensi*, et incipit: *Diuina sapientia rebus communibus &c.* Subiuncta est eisdem *Expositio Salutationis Angelicae et Symboli Apostolorum.*

Illa incipit: *Aue maria. Procul dubio illam sancte matris ecclesie &c. Haec: Credo in Deum patrem. Credo in deum et pura fide &c. Postremam harum interpretationum jam alibi exhibuimus, sed hic Prooemium trium paene columnarum, cujus initium dedimus, praecedit, quod ibi deest. Primae meminere Pezsius in *Disr. isag. T. I. Tbes. Anecd.* p. 77. et *Fabricii Bibl. med. et inf. Lat. L. 8. Secundae eadem Bibl. ibid.**

VI. fol. 96. p. 2. *Augustinus de contemptu mundi ad sacerdotes et clericos.* Initium: *Audite fratres karissimi Salutiferam patris nostri doctrinam &c. Finis: perbennes reddamus gratias ihesu christo domino nostro, qui cum patre &c. Comparet inter Sermones nothos in *Append. T. VI. Oppedit. Maur. Paris. 1685. col. 293. f.**

VII. fol. 98. Incipit *Stimulus amoris beati Bernardi abbatis Clareuallensis.* Initium: *Ihesum nazarenum a Iudeis innocenter condempnatum &c. Cave, cum Bonaventurae Stimulo Amoris*

ris confundas. Legitur inter *Bernardi Opera* T. V. edit. *supracol.* 649. inscriptum: *Sermo de vita et passione Domini*. Inter *Anselmi Meditationes* edit. *Paris. Gerberon.* p. 217. 1721. f. Nona est, sed utrique Editores abjudicant. In *Mss.* etiam titulo *Speculi Evangelici Sermonis*, aut *de Humanitate*, aut *Passionis Domini nostri secundum Anselmum* invenias.

VIII. fol. 103. p. 2. *Incipiunt meditationes beati Bernardi, quomodo quisque cognoscat se ipsum et deum*. Initium: *Multi multa sciunt et seipsos nesciunt* &c. Jam memoratae alias. Verum hic tantum habentur prima V. *Capita*.

IX. fol. 108. *Sequitur quidam modus disponendi se ad mortem, quem pertractavit quidam monachus cellica (cellicola?) ordinis charthusiensis. sano corpore scribens et relinquens post se cedula tenoris infra scripti. Scilicet: Ego frater N. indignus nomine charthusiensis Confiteor tibi clementissime deus* &c. Fortasse *Johannis Hagen* sive ab *Indagine τὸ πολυγέαφον*, inter cujus Scripta in *Theod. Petreji Bibl. Carth.* p. 182. invenio *Artem praeparandi se ad mortem*. Obiit is anno 1475.

X. fol. 109. *Speculum anime*. Incipit: *Anima mea novi, quod curiosa sis* &c. Est *Henrici de Hassia*, alias inscriptum *de Contemplatione*, et indicatum *Cod. DCXXXVII.* quem vide, si lubet.

XI. fol. 115. p. 2. *Incipit tractatus de pastoribus Ecclesiarum cum diuersis allegacionibus sanctorum patrum*. Initium est: *Quasi stella matutina nebulae. i. peccatorum proprietates huius stelle* &c. Ad calcem: *Explicit stella clericorum*, quo titulo *Opusculum utile Seculo* jam XV. iterato typis excusum 4. prodiit.

XII. fol. 121. p. 2. *Incipit planctus Boneventure de passione domini*. Initium: *Ego sum vitis vera* &c. *O Ihesu mitis, veni lignum vite* &c. Non reperi in *Operibus Bonaventurae*, sed extat, quanquam prolixior, inter *Opera Bernardi* edit. *Maur. T. V. col.* 427. titulo: *Vitis Mystica s. Tractatus de Passione Domini*, non *Bernardi*, ut ajunt Editores, sed *Scriptoris pii, nec indocti, nec inelegantis*.

XIII. fol. 123. *Sequitur tractatus de discretionem spirituum Magistri Hainrici de Hassia*, qui incipit: *Sicut in physica motus et operationes referri consueuerunt ad formas* &c. *Tractatum hunc indicavi ad Cod. DCXC.* quem confer.

XIV. fol. 145. *Sermo Magistri Hainrici de Hassia*. Est is alias dicta *Epistola ad Canonicos Newnburgenses de proprietate*, quae incipit: *Ecce nos reliquimus omnia* &c. et jam in *Codd. CCXLI.* et aliis occurrit.

XV. fol. 156. p. 2. absque inscriptione *Tractatus paraeneticus*, quo *Animae peccatrici infaustra sua proponitur conditio*. Parte altera, quae *de Planctu anime*

anime inscribitur, Anima prolixo soliloquio eam agnoscit. Initium est: *Lapsa est in lacum vita mea &c. Verba proposita sunt beati Jeremie prophete &c. Finis: te intercedente nos participes faciat glorie beatitudinis sue Ihesus christus dominus noster qui cum deo patre &c. Autorem ignoro.*

XVI. fol. 163. Incipit de *Passione domini secundum distinctionem horarum canonicarum.* Initium: *Proprio filio suo non percipit &c. Ne mens ex prehabitis videlicet ex recordatione fedtatis sue &c. Finis: dilecta mater et mulieres desistentes senserunt. Amen.* Tota tractatio locis PP. et piis affectibus constat. Diximus autem in limine Codicis: *Petrum de Kirchsschlag edidisse Collecturam ex diversis Doctoribus super Passionem Domini.* Nunquid igitur haec praefens est? Atqui *Petrus* Codicem hunc Conventui donavit ante suam *Professionem.* Quid si jam vir et sacerdos Ordinem ingressus sit; neque enim id insolitum? Statuent ii, quibus ejus *Collecturam* impressam oculis usurpare contigerit.

XVII. fol. 183. *Modus procedendi in sermones de sacramento Corporis domini Sancti Thome de Aquino.* Sermones hos XXXII. extantes T. XVII. Opp. edit. Rom. 1570. fol. 43. f. jam commemoravimus alibi. Adest hic *Praefatio*, quae non habetur in edit. Ad calcem: *Expliciunt sermones originales Thome de Aquino doctoris eximij de sacramento*

*corporis et sanguinis domini nostri Ihesu christi. 1454.*

XVIII. fol. 233. Incipit opusculum *Tripartitum Scilicet de preceptis de confessione de scientia mortis Eximij Sacre pagine doctoris Magistri Johannis de Gersona Cancellarij alme vniuersitatis parisiensis.* Initium: *Christianitati suus qualiscunque zelator &c. Extat Opp. omn. T. I. col. 425. et jam Codd. variis indicatum est.*

XIX. fol. 252. Incipit tractatus de morte in sex particulas distinctus &c. Particulas has enumeravimus ad Cod. CCLXX. ubi praefens tractatus occurrit. Sed hic adjunctum est *Exemplum de morte cuiusdam pape*, et VII. aliae *Orationes piae.*

XX. fol. 264. p. 2. Incipit tractatus seu tabula examinacionis consciencie secundum numerum peccatorum mortalium ordinata M. Johannis de Garsona Canc. parisen. Nil est aliud, quam Tractatus secundus *Opusculi Tripartiti*, quod paullo ante indicavimus.

XXI. fol. 269. *Antonij de Butrio Directorium Confessionis*, sed hic prolixius, quam Cod. CCLXX. et alterius initii; post *Summarium* enim statim sic incipit: *Poterit ergo confessio fieri per hunc modum, Ego peccator confiteor &c. Ad calcem: Compilatum et ordinatum fuit hoc directorium confessionis faciende confidenter per me Anthonium de butrio de bononia in M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> V<sup>o</sup>. Et completum in die XXV mens. Marcij.*

*Marcij. Rogo legentes ut pro me dicant Miserere mei deus Aut pater noster pro remissione innumerabilium peccatorum meorum &c.*

XXII. fol. 290. Incipit tractatus Magistri Johannis Gersonis Cancellarij parisiensis de pollucione nocturna. Initium: *Dubitatum est apud me frequenter &c.* Extat Opp. T. III. P. I. col. 323. et nobis Codd. variis, ut ex *Indice* patet.

XXIII. fol. 297. Tractatus Magistri Johannis Gersonis cancellarij parisiensis de arte audiendi confessiones. Initium: *Etsi virtus quam assuefactio gignit certius quam ars operetur &c.* Finis: *quam legendo erudietur atque proficiet.* Legitur Opp. T. II. col. 446.

XXIV. fol. 301. Sermo M. Jo. de Garfome cancellarij parisiensis ad Sinodum remensem. Incipit: *Bonus pastor animam suam &c.* et habetur Opp. T. II. col. 542.

XXV. fol. 312. Sermo Cancellarij parisiensis in Concilio Constantien. quando rex Romanorum (Sigismundus) ad Regem Arragonen. et petrum de luna pro facienda unione exiuerat. Initium: *Prosperum iter faciet nobis deus &c.* Opp. T. II. col. 273.

XXVI. fol. 316. Quid operetur protestacio in materia fidei. Sunt Considerationes XII. a Gersono, ut in fine dicitur, positae XXIX. mens. Octobris anno 1415. in Ciuitate Constan ubi sacrum agebatur generale concilium, et leguntur Opp. T. I. col. 28.

XXVII. fol. 322. Sequuntur certe propositiones Cancellarij parisiensis super materia IX. assertio-num iudicialiter per ipsum denunciatarum. Sunt in caussa Johannis Parvi circa Praeceptum: *Non occides*, et prima, quae incipit: *Estimo me beatum apud te &c.* praeue habita dicitur die Jouis de vespere 17. Octobris vigilia beati luce. Extant Opp. T. II. col. 330.

Fol. 327. Sequitur propositio secunda Cancellarij parisiensis. hoc initio: *Oportet hereses esse sicut dicit apostolus &c.* Sequitur et in impressis col. 338.

XXVIII. fol. 334. p. 2. Sequuntur XII. considerationes secundum totidem signa quibus solet aliquis de pertinacia notari uel conuinci circa materiam heretice prauitatis premittendo qualis sit pertinacie diffinicio seu ratio. Extant inter Gersonis Opp. T. I. col. 36. hoc initio: *Pertinacie propria ratio que errantem in fide &c.*

XXIX. fol. 335. p. 2. Littera regis (Caroli VI) super libertate ecclesiarum regni et dalphinatus quo ad exactiones annatas et grauamina per papam imposita. Data: anno CCCC. VI. XVIII. februarij. Initium: *Karolus dei gratia &c. Vniuersis &c. Si dotare uel dotari nouas ecclesias &c.* Correctior extat inter *Preuves des Libertez de l'Eglise gallic.* edit. 1731. T. II. c. XXII. p. 11.

XXX. fol. 337. Cardinalis Cameracen. de materia IX. assertio-num, scilicet Johannis Parvi. Initium:

tium: *Ego petrus* (de Alliaco) *Cardinalis Cameracen. tamquam doctor Theologus &c.* Extat T. V. Opp. Gerson. col. 474.

XXXI. fol. 338. *Contra annatas. Sive X. Rationes breves, cur solvendae non sint. Initium: Motiua aliquorum, quare declarandum esse uidetur, Ecclesias non teneri ad soluendum annatas. Primum, quia non videntur Jure diuino &c. Non inveni inter Gersonis Scripta.*

XXXII. fol. 339. *Contra octauam assertionem, scilicet Johannis Parvi, quae erat: Litera occidit, spiritus autem vivificat. 2. Cor. III. 6. hoc est dicere, quod semper tenere sensum literalem in sacra scriptura, est occidere animam suam. Initium: Pro elucidatione condemnationis octauae assertionis notandum est, quod sensus literalis &c. Finis: super cuius opposito fundatur dicta assertio. Non inveni inter Acta hujus Causae T. V. Opp. Gersonis.*

XXXIII. fol. 339. p. 2. *Que ueritates sint de necessitate salutis credende et que de sola probabilitate tenende Secundum Cancellarium parysien. Initium: Declaratio compendiosa, que ueritates &c. Extat Opp. T. I. col. 22.*

XXXIV. fol. 343. *Incipit tractatus compendiosus et utilimus De Oratione per Egregium sacre Theologie doctorem Magistrum Johannem de Garfone Cancellarium parysiensem compositus. Initium: Oportet semper orare et non deficere. Scripsit tulus accuratissime Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

*commentarium fratri suo &c. Opp. T. III. col. 247.*

XXXV. fol. 345. *Incipit Tractatus Egregij sacre Theologie doctoris Magistri Henrici de Hassia De verbo incarnato. Jam Cod. CCXLI. sed initio multatus occurrit. Itaque hic prima verba dabo: Quis det mihi verbum quo seminiverbius ego aliquid loquar de verbo illo &c. Hic praeterea Capita censet XIX. ibi duobus plura, et finit: representet omnia complexe et incomplexa sicut verbum diuinum, ut ibi.*

XXXVI. fol. 352. p. 2. *Incipit Tractatus Magistri Henrici de Hassia de Septem horis Canonicis secundum correspondentiam ad horas diei. Initium: Ut doctorum testatur auctoritas, christus eo die fuit passus, quo et conceptus &c. Si Tractatus hic re ipsa ad Henricum pertinet, ut praeter Cod. praesentem Dorotheanus unus, Gemnicensis alter, teste Bern. Pezio in Diss. isag. T. I. Thes. Anecd. p. 78. adfirmant, necesse est eandem ab eo materiam bis pertractatam fuisse. Vidimus enim supra Cod. CCCLXVII. Opusculum ejusdem tituli, sed aliud, eidem a Trithemio et Cod. uno Mellicensi attributum. Praesens X. Capitibus definitur, illud aliter diuisum est, ut mox adparebit.*

XXXVII. fol. 360. *Incipit alius Tractatus de Horis Canonicis. Eccum, qui jam Cod. ut dixi, CCCLXVII. indicatus fuit. Initium ejus est: Septies in die S s s laudem*

*laudem dixi tibi &c.* Agit potissimum de VII. *Impedimentis* pie recitandi Horas et de tempore, quo recitandae vel cantandae sint. Si sententiam poscar, hunc ab *Henrico* abjudicem, cum quia in neutro *Cod.* nostro ejus Nomen praefert, tum, quia secunda, coeva tamen manus titulo adscripsit *Hubertus* aut *Humbertus*, quanquam hujus nominis aliquem de Horis Canonicis scripsisse non meminerim.

XXXVIII. fol. 364. *Qualiter cognoscatur an aliquod peccatum sit mortale aut veniale.* Initium: *Ad sciendum, quando peccatum aliquod sit mortale uel veniale, sunt notande quinque regule &c.* Hae Regulae dein ad septem Species peccatorum, quae *Capitalia* dici solent, adplicantur. Opusculum adfines est *gersoniani de Differentia Peccatorum. T. II. col. 485.*

XXXIX. fol. 366. p. 2. *Tractatus de oratione excellentissimi sacre pagine doctoris Magistri Johannis. De Garfone Cancellarij,* hoc initio: *Multum enim valet deprecatio iusti assidua &c.* Est tantum Pars II. *Tractatus illius de Oratione et suo valore. Opp. T. III. col. 251.*

XL. fol. 370. Praemisso XXIV. Capp. Elencho *Sequitur Tractatus de Fascinatione.* Initium est: *Cum secundum philosophum in 3<sup>o</sup> posteriorum demonstrationis et scientie principium sit &c.* Materiam Scriptor paullo post ita exponit: *Quid ergo significetur nomine fascinationis, et quid*

*sit fascinatio, et cuius partis anime sit hec passio siue operacio et utrum sit passibilis et per quem modum contingat unum ab aliquo fascinari uel fascinare Rogatus et interrogatus a quibusdam socijs et amicis ea que de hac materie videre potui et habere ab auctoribus inde dicta presenti tractatu duxi in unum — ordinanda &c.* Solenni majorum nostrorum incuria, quae maximum negotium facessit *Codicum* Censoribus, nomen Autoris omissum est, quem ex *Academiae Vindob.* Doctoribus Theologis unum aliquem habeo.

XLI. fol. 389. *Sermones N. Dinklspübel XII.* Sunt vero: *De sancta Trinitate. De assumptione marie III. De Natiuitate beate virginis. De omnibus sanctis III. In natiuitate domini II. De ingratitude. De sancto jobanne evangelista.* *Sermones Nicolai nostri,* de quo jam alias diximus, aeo suo auide a doctis lectos fuisse, testis est *Aen. Silvius epist. 165.* An vero unquam prelo subjecti sint hi praesentes, dicere non habeo, nisi forte *Dominicalibus* adhaereant, qui *Argentinæ 1496. 4.* lucem aspexisse traduntur.

## DLXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 656 XV. Folior. 228. 4. non una manu, partim lineis longis, partim per 2. columnas descriptus, olimque *Fratrum sancte crucis In dusseldorp,* ut praenotatur, continet: I. *Cordiale de quatuor Nouissimis,*